

rorum Episcoporum recursus rectè ad Nos habitos, aut eorundem relationes de Ecclesiarum suarum statu ad Congregationem Concilii de morte transmissas.

X. Porrò, inter alias plures, videatur Constitutio nostra, quæ incipit *Nihil profectò, 60. nostri Bullar. tom. 1.* ubi distinctè interdicuntur nonnulla publica spectacula, qua certis in diœcesibus celebrabantur. Adeatur quoque Constitutio, cui initium *Providas Romanorum Pontificum, num. 47. tom. 3. nostri Bullarii*, qua confirmatur Prædecessoris nostri Constitutio contra Sectam *de liberi Muratori*, seu *des Francs Masons* vocitatum, imploraturque adversus eos secularium Principum, & Potestatum auctoritas. Proderit, & percurrere alteram Constitutionem, cujus exordium est *Detestabilem*, editam, evulgatamque anno 1752. & in *tom. 4. nostri Bullar.* inserendam, per quam innovantur veteres omnes Prædecessorum nostrorum Constitutiones in detestabilem, nimiumque propagatum duellorum abusum, atque insuperdamnantur quorundam assertiones, qui, dum rem per se, & ut inquit, in abstracto discutebant, amplam nimium viam sternebant, & ipsi monomachia perpetranda, & illius reis ad effugiendas pœnas in ipsos statutas. Inter cætera verò in eadem decretum est, recensitas inibi pœnas, ipso jure, & ante omnem Judicis sententiam, à transgressoribus incurrendas, eosque Ecclesiastica sepultura carere debere, si decedant ex vulnere in duello accepto, quamvis extra locum conflictus occubuerint, obtinuerintque à peccatis simul, & censuris absolutionem; eo planè modo, quò in Lateranensi Concilio cautum fuit, ne in loco sacro tumularentur ii, qui in torneamenti decedebant, licèt, ante-

quam extremum vitæ spiritum ederent, non incerta pœnitentiæ signa exhibentes, absolutionem retulissent: *Quod si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur, Ecclesiastica tamen careat sepultura*; ut legitur in *cap. Felicis, de torneamentis*. Decedentibus quippè in torneamenti Ecclesiastica sepultura universim denegatur; iique tantummodo ab hac sanctione eximuntur, qui, cum ad statutum torneamenti locum, haud quidem dimicaturi, sed alio consilio accesserint, subito, inopinatoque casu ibidem occumbunt: *Nos verò attendentes, quod his tantum, sicut credimus, Ecclesiastica sepultura debet interdici, qui ad torneamentum animo id faciendi tantum accedentes, decedunt ibidem, Fraternitati tuæ mandamus, quatenus, si tibi constiterit, quod præfatus J. ad prædictum torneamentum, non animo ludendi, sed percipiendi credita pervenisset, licèt ibi fortuito casu obierit, corpus ejus dispensativè Ecclesiasticæ tradi facias sepulturæ, maxime si Dominicum Corpus susceperit, & sacri Olei fuerit unctione perunctus*. Sunt hæc ipsa verba Alexandri III. in *cap. Ad audientiam, eodem tit. de torneamentis*. Demùm in sæpè memorata Constitutione nostra, Catholicorum Principum zelus, religio, pietasque excitantur, ne se se reos ante tremendum Dei tribunal constituant, si, suprema sua auctoritate interposita, justisque indictis pœnis, ad eradicanda è suis diuionibus duella, summo, quo debent, studio & conatu, non adlaborant.

CAPUT XVIII.

De postulatis ad Indulgentias, Festorumque dierum cultum pertinentibus.

Sacrum Tridentinum Concilium, *sess. 25. in Decreto de Indulgentiis*, postquam definiverat, Ecclesiam à primis usque temporibus usam fuisse potestate à Christo Jesu sibi tradita largiendi Indulgentias, eosque anathemate percuserat, qui aut illas veluti inutiles traducebant, aut perfrecta fronte negabant inesse in Ecclesia eorundem conferendarum auctoritatem, subdidit: *in his tamen concedendis moderationem, juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit; ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur*. Quod ipsum vel antea providè caverat Innocentius Papa III. in Concilio Lateranensi, ex quo desumptum est *cap. Cum ex eo, de pœnitentiis, & remissionibus*. Prædicta autem Tridentina Synodus, *sess. 21. de reform. c. 9.* ulterius constituit, ne Indulgentiæ per alios indicerentur, quam per Episcopos, aut Ordinarios locorum, quos etiam ad exquirendum ea in re consilium duorum de Capitulo obstrinxit: *Indulgentias verò, aut alias spirituales gratias, quibus non ideo Christifideles decet privari, deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse decernit*. Demùm *sequenti sess. 25. in cit. Decreto de Indulgentiis*, advertens, haud ita facile fore omnes recensere, ac tollere abusus, qui ex superstitione, ignorantia, & irreverentia, veluti fontibus, promanaverant, quibusque prospiciendum fuisse, mandavit, eosdem ab Episcopis diligenter exquiri, ac in unum collectos proximæ Provin-

cialis Synodi judicio subijci, subindeque omninò ad summum Pontificem deferri: *Cæteros verò* (de abusibus loquitur in Indulgentiarum materiam inductis) *qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocumque pervenerunt, cum ob multiples locorum, & provinciarum: apud quas hi committuntur, corruptelas commodè nequeant specialiter prohiberi, mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesie suæ colligat, eosque in prima Synodo Provinciali referat, ut aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti, statim ad summum Romanum Pontificem deferantur*. En itaque peculiare quoddam monitum Episcopis datum, ut, si quis abusus ad Indulgentiarum rem pertinentes per eorum diœceses inoleverint, eos (quoniam Provincialium Conciliorum convocatio per hæc tempora neque frequens, neque satis expedita esse dignoscitur) in relationibus status suarum Ecclesiarum fideliter referant, simulque opportunum ipsis ab Apostolica Sede remedium implorent.

II. Periculosum nonnullis videtur, hoc rerum genus nimis diligenter scrutari & excutere; propterea quod, si hinc urget necessitas exposcendi opportuna remedia, ne Christifidelibus imponatur; inde obstat timor, ne, detectat per ipsos Indulgentiarum insubsistentia, quæ antea eos latuerat, nec eis denunciata fuerat ab iis, qui rerum veritatem ipsis sine fuce demonstrare debebant, turbentur illi, offendantur, indeque occasionem arripiat obloquendi in eos, qui Ecclesiastici regiminis veluti habenas moderantur. Verùm haud ita difficile & arduum est viam adinvenire, per quam ex hoc impedito, ut isti putant, labyrintho evadatur. Si enim in Indulgentiarum discussione, quam in sua diœcesi ins-

tituit Episcopus, aliquas repererit, quæ dubiæ fidei videantur, non negligat easdem recensere in relatione status suæ Ecclesiæ, unâ cum rationibus & argumentis, quibus in eam sententiam circa illas adducitur; quod cum ipse præstiterit, onus erit Congregationis Concilii, hujusce rei notionem remittere ad alteram Congregationem Indulgentiarum, cui Clemens IX. Pontifex auctoritatem tribuit *falsas, apocryphas, indiscretasque Indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi, & examinandi, ac, ubi Nobis, seu Romano Pontifici pro tempore existenti retulerit, nostra, seu illius auctoritate rejiciendi*. Quemadmodum legere est ejus Constitutione 36. cui initium *In ipsis Pontificatus*, edita anno 1639. §. 2. Quoties autem, examine facto, hujusmodi delatas Indulgentias apocryphas declarari contigerit, si rogetur Pontifex, ut Indulgentiis apocryphis veras canonicasque Indulgentias subrogare velit, & (uti sperandum est) consonum votis rescriptum obtineatur; non solum hoc ratione incommodis omnibus cumulatis consultum erit, sed insuper fideli populo spiritualis veræque lætitiæ occasio exhibebitur. Urbanus II. Pontifex, antequam ad Claromontanum Concilium se conferret, solemniter consecravit Ecclesiam monasterii Bantini, eamque decoravit nonnullis privilegiis, quæ recensentur à Cardinali Baronio *ad annum Christi 1088.* & à Patre Mabillonio *tom. 5. suorum Annalium Ordinis S. Benedicti*. Obscurioribus temporibus Prælati aliquis fortè minus cautus in Ecclesia lapidem apposuit, cui inscripta legebatur concessio nonnullarum Indulgentiarum, de quibus nullum extabat legitimum monumentum. Cum præfati monasterii Abbatia commendata fuisset Henri-

co S. R. E. Cardinali Henriquez, tunc apud Catholicum Regem Apostolicæ Sedis Nuncio, isque gravem hunc errorem deprehendisset, non distulit rem universam ad Nos deferre; Nos autem minimè prætermisimus apocryphis Indulgentiis Indulgentias substituere veras, & ad justam disciplinæ moderationem compositas, quas arbitramur jam inscriptas fuisse novo lapidi in eadem Ecclesia apponendo. Episcoporum reclamaciones adversus immodicas Indulgentias, quibus Ecclesiæ filiales Basilicæ nostræ Lateranensis, seu eidem subjectæ, aut aggregatæ, ditatas se esse contendebant, aditum reserarunt compluribus litibus, & controversiis inter certos quosdam Episcopos, & dictæ Lateranensis Basilicæ Canonicos, sibi asserentes facultatem communicandi controversas Indulgentias filialibus, aggregatisque Ecclesiis; at, cum hi numquam legitimas probationes reperire potuerint, ut quod sibi ex antiqua opinione, & majorum exemplo assumebant, satis firmarent, Nos indulta omnia, privilegia, & Indulgentias sic ab iisdem communicatas, eoque suspendimus, donec controversa facultas certis & authenticis monumentis prolatis perspicuè demonstraretur; aliasque interim concessimus Indulgentias ad vigentem praxim Apostolicæ Sedis magis accommodatas, quarum participes fierent fideles, qui designatis diebus Ecclesias prædictæ Basilicæ filiales, eique subjectas, seu aggregatas visitassent; uti videre est in nostra Constitutione, cui initium *Assidue sollicitudinis*, num. 45. *tom. 3. nostri Bullarii*.

III. A Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, seu recta per se, seu de Congregationum consilio, tam multæ apocryphæ Indulgentiæ prospectæ fuerunt, ut inde quilibet Episcopus

pus facillè deprehendere possit, quænam sint Indulgentiæ, quarum publicatio in diocesi permittenda non est; ipsæ autem Pontificum Bullæ, Brevia, & Decreta sparsim relata inveniuntur toto Opere *de Indulgentiis*, quod accuratè composuit Pater Theodorus à Spiritu Sancto, Congregationis Indulgentiarum, sacrarumque Reliquiarum Consultor. Quoties autem aliqua occurrat Indulgentia, de qua nulla mentio fiat in memorato Opere, perfacile est deprehendere, utrùm ea apocrypha sit, an non, dum qui illam vulgat, & subsistentem propugnat, debet autographum proferre concessionis monumentum, vel saltem indigitare locum, ubi illud asservetur. Proindeque si conferatur Indulgentia, quæ populo nuntiarur, cum autographo concessionis, aut cum authentico ejusdem exemplo, fit illicò patens, an illa apocrypha sit, necne; cautum quippè est: *Ne edantur summaria, nisi collationata, & subscripta ab Ordinario loci, seu ejus Vicario. Bullarum transumptis fides ne adhibeatur, nisi sint collationata, & subscripta, & sigillo munita alicujus Metropolitanæ, seu ejus Vicarii. Omnes Indulgentiæ Episcopis inspiciendæ, & examinandæ tradantur, qui legitimas probabunt, reliquas nulla auctoritate roboratas rejicient*; uti legitur in *Formula habendi Conc. Provinc. part. 8. Actor. Eccles. Mediolanen. pag. 1203.*

IV. Est tamen hic opportunè monendum, nonnullas reperiri Indulgentias, quæ sine temeritatis nota in dubium revocari nequeunt, quamvis authenticum earum Indultum non proferatur, cum antiquissima constantique traditione innitantur, ac tacita, vel expressa Romanorum Pontificum confirmatione roborentur. Talis est, ut aliquo utamur exemplo, Indulgentia Portiunculæ, quæ nomen desumit

Tom. II.

à parva illa Capella propè Assisium sita, quam Sanctus Franciscus, Ordinis Minorum Fundator, ab Abbate Montis Subasii Ordinis Sancti Benedicti obtinuit, ut ibi, unâ cum Fratibus, posset novi Instituti sui sanctiones peragere, quæque nunc temporis sita conspicitur intra augmentum Templum Sanctæ Mariæ Angelorum Reginæ dicatum. Fertur itaque S. Franciscum plenariam Indulgentiam à Deo implorasse pro iis omnibus, qui perpetratorum criminum poenitentes, eaque sacramentaliter confessi, memoratam Cappellam visitassent, idque ipsi à Deo in eadem Capella concessum fuisse; hoc tamen addito, ut ipse eandem Indulgentiam impetraret ab Honorio III. tunc Romano Pontifice. Qui quidem certior factus, consonum id esse Divinæ voluntati, anno 1223. Indulgentiam plenariam perpetuò concessisse dicitur omnibus, qui ex corde poenitentes, ac confessi, sæpè dictam Capellam, seu parvam Ecclesiam visitassent à vespere Kalendarum Augusti ad vespere sequentis diei.

V. Sanè nullum extat authenticum monumentum sive de petitione S. Francisci, sive de concessione ab Honorio III. illius precibus facta. Cæterum affertur testimonium Petri Calfanni affirmantis, se propriis auribus audivisse S. Franciscum præfatam Indulgentiam in concione annuntiantem, habentemque præ manibus quamdam chartam, cujus summam referebat omninò consonam iis, quæ supra memoravimus. Extant insuper testimoniationes jam inde ab anno 1277. exarata à duobus Religiosis fide dignis, referentibus, se integram ejusdem facti historiam audivisse à P. Matthæo de Marignano, qui unus fuit ex sociis S. Francisci, quique cum ipso Perusiam se contulit ad pedes Honorii III. cum

is, Dei voluntatem suspiciens, Indulgentiam, de qua sermo habetur, est elargitus. Hæc omnia adnotata reperuntur in authentico monumento Bibliothecæ Colbertinæ, quod publica iuris fecit Stephanus Baluzius in suis *Miscellaneis lib. 4. pag. 490.* & confirmantur publico quodam Instrumento. rogato jussu Antistitis Conradi Episcopi Assisiensis anno 1335. Denique, prætermissa etiam communi consensione Historicorum omnium, & Scriptorum subsequen- tium temporum, quos olim ipsi collegimus in Opusculo ad hanc ipsam rem pertinente, & anno 1721. Fulgineis typis impresso; cum Romani Pontifices sæpè meminerint de Indulgentia hac, uti ab Honorio III. concessa, quemadmodum videre licet apud Wadingum in *Annalibus ad annum 1225. num. 1. & 2.* iidemque postea illam extenderint ad universas Ecclesias Ordinis S. Francisci, ut in memorato nostro Opusculo demonstravimus; esse profectò magnæ temeritatis eandem in dubium revocare ex eo, quòd nullum afferatur primitivæ concessio- nis authenticum monumentum. Pari ratione judican- dum de Indulgentia plenaria quotidiana, quæ dicitur rogatu Constantini Imperatoris à Sancto Sylvestro concessa cuilibet in statu gratiæ Lateranensem Ecclesiam visitanti, quæque descripta legitur in veteri marmorea tabula intra eandem Ecclesiam extante, & in antiquo Codice in Archivo Capituli asservato. De hoc enim non solum desideratur authenticum monumen- tum, sed graves insuper in ipsa facti enarratione ostenduntur difficultates, habito præsertim respectu ad disciplinam sæculi quarti, quo concessa dicitur, uti etiam inferius adnotabimus, & latius animadvertit Papebrochius in *Propyleo dissert. 8. & in Responsio- nibus ad Patrem Sebastianum à S.*

Paulo. At nihilominus temeritatem sa- peret hujusmodi Indulgentiam nunc uti dubiam traducere; ejus quippè legitimum fundamentum statuendum est in comprobatione Romanorum Pon- tificum, qui cum sæpius, & non qui- dem perfunctoriè, sed in ipsis etiam Pastoralibus Ecclesiæ visitationibus, viderint quæ in memorato lapide enun- tiantur, amoveri tamen eum, vel emendari non jusserunt; veluti scitè animadvertit idem Papebrochius, *cit. dissert. 8. num. 4. Quamvis enim ne- queat efficere Pontifex, ut à Syl- vestro datæ sint Indulgentiæ, quæ datæ non fuerunt, facere tamen po- test, ut eæ reverè à isthac nunc obtinean- tur, æquè ac si ab ipso Sylvestro pro- manassent.* Cui quidem firmissimæ ratio- ni adhaerentes Nos in memorata nostra Constitutione, quæ incipit *As- siduæ sollicitudinis. §. 7.* ubi res est de Indulgentiis ipsius Ecclesiæ Lateranensis, ita statuimus: *Omnes, & sin- gulas Indulgentias, &c. quæ jamdu- dum, ipsis Romanis Pontificibus scientibus, & consentientibus, publicè in eadem Ecclesia proponi consueve- runt, etiamsi de illarum primæva con- cessione certa monumenta nunc non appareant, &c. approbamus, & con- firmamus, eidemque Basilicæ, perinde ac si per præsentem ex integro ipsi concederentur, sine ulla contradic- tione competere declaramus, atque de- cernimus.*

VI. Verùm, cum extra præfatas gravioris momenti circumstantias, ip- sum concessionis documentum est ne- cessariò explorandum, nonnumquam accidit, ut ostendantur difficultates, quæ eas falsas, seu apocryphas sua- deant, vel quæ saltem cautiore red- dere debeant Episcopos, ne cœca fide illas approbent, sed iudicium suum eousque cohibeant, donec de iisdem afferatur Sanctæ Sedis oraculum. Por-

rò semper adfuit in Ecclesia facultas concedendi Indulgentias, semperque aliquis in ea viguit hujusmodi conces- sionum usus; uti colligitur ex episto- la secunda B. Pauli Apostoli ad *Corin- thios cap. 2. & ex Tertulliano, ac S. Cy- priano, quorum testimonia accuratè collecta fuerunt à Catholicis Contro- versiarum Scriptoribus; non semper tamen idem fuit hujusmodi facultatis usus; quemadmodum sæpè monet Pa- pebrochius in *cit. Respons. ad art. 14. num. 22.* „Omnes probi Catho- „lici agnoscunt, amplissimam à Chris- „to Vicariis suis, circa peccatorum, „& poenarum etiam temporalium re- „missionem, concessam esse potesta- „tem. Usus verò potestatis illius varius „esse potest pro temporum, persona- „rum, aliarumque circumstantiarum „diversitate, & ex Ecclesiæ iudicio „mutari etiam potest.” Hanc verò af- firmare possumus nonnullorum esse eruditorum sententiam, nimirum om- nium primam Indulgentiæ plenariæ concessionem, de qua certò constet, eam esse, quam Urbanus Papa II. an- no 1095. impertitus est iis, qui religio- nis causa ad recuperandam Terram Sanctam militaturi sese conferrent. Hujus concessionis documentum im- pressum est *tom. 10. Conciliorum Lab- bei col. 507.* Hanc Indulgentiæ plena- riæ concessionem cæteris omnibus, quæ cognita sint, antiquitatis prærogativa antevertere, demonstrat Ven. Servus Dei Cardinalis Thomasius in suo Com- mentario circa concessionem Indul- gentiarum, relato in *tom 7. pag. 126. ejusdem Operum,* quæ hoc ipso anno 1754. Romæ adeo accuratè & eruditè typis imprimenda curavit Pater Vez- zosi Clericus Reglaris, in Romano Archigymnasio Historiæ Ecclesiasti- cæ Professor. Suspectam ergo aliquis habere posset aliquam plenariam In- dulgentiam, quæ ante prædictum*

tempus concessa asseratur. At id suf- ficienti fundamento destitutum esse, alii dicere possent, afferendo quæ extant in *Actis Ecclesiæ Orientalis,* collectis operà & studio Emmanue- lis à Schelstrate *tom. 2. dissert. 1. cap. 5. pag. 561. & seq.* ubi latè agit de concessionibus Indulgentiarum etiam plenariarum ante tempora Sum- mi Pontificis Urbani II. & etiam cæ- tera, de quibus eruditus Amort in *re- centi Historia Indulgentiarum part. 1. sect. 2. pag. 46. editionis Vene- tæ, sect. 4. pag. 105. & sect. 7. pag. 155.*

VII. Nonnullæ aliquandò occur- runt Indulgentiæ, quibus absolutio à poena, & à culpa concedi dicitur. Hujusmodi dicendi formula tribuitur præteritorum sæculorum Quæstoribus, quos licet affirmare veros fuisse auc- tores tempestatum, quas Ecclesia prop- ter Indulgentiarum causam perpessa est. Clemens V. Pontifex in *Clemen- tina 2. de poenit. & remiss.* loquens de ejusmodi Quæstoribus, deque pu- blicationibus Indulgentiarum, quæ per ipsos fiebant, eos dicit solitos fuisse hac formula uti à poena, & à culpa; ut eorum verbis utamur; quo satis ostendit Pontifex, incongruum omninò fuisse hujusmodi dicendi mo- dum; quemadmodum animadvertit Navarrus in *Comment. de Anno Jubi- læi, decimo notabili, n. 16.* Et reverè Cardinalis Cusanus, Apostolicæ Sedis per Germaniam Legatus, fidenter asseruit, Apostolicam Sedem num- quam consuevisse Indulgentias imper- tiri hac adhibita phrasi: *Ipse in Sy- nodo Provinciali, nobis audientibus, Magdeburgi per ipsum celebrata, dicebat: Sedes Apostolica suis verbis à poena, & culpa Indulgentias num- quam dare consuevit.* Leguntur hæc in *magno Chronico Belgii.* Non igno- ramus, aliquos extare Theologos

contententes, per Indulgentias tolli posse peccata venialia, etiam quoad culpam; at simul novimus, valde dubiam esse ejusmodi sententiam, eamque minimè cohærere sanioribus Theologiæ principiis, uti evincunt Suarez in 3. part. S. Thomæ tom. 4. disp. 50. sect. 1. n. 11. Passerinus de Indulgentiis quest. 7. n. 82. P. Theodorus à Spiritu Sancto in supracit. Tract. de Indulgentiis tom. 1. cap. 5. §. 1. Si quæ autem reperiantur Indulgentiæ, in quibus remissio quartæ, exempli gratia, vel septimæ partis peccatorum venialium concedi dicatur, accipiendum id est de remissione temporalis pœnæ, quam quis propter eum criminum numerum promeritus fuerit, non ante tamen obtinenda, quam post obtentam remissionem culpæ iis modis atque rationibus, quibus juxta Christi Domini præscriptum à peccatorum reatibus expiamur. In Glossario mediæ & infimæ Latinitatis du Cangii, ampliato per Monachos Congregationis S. Mauri, tom. 3. lit. I. verb. Indulgentia, extat exemplum ejusmodi Indulgentiæ datæ ab Urbano III. Pontificatus sui anno primo. At in monumento Pontii Archiepiscopi Arelatensis, quod relatum legitur tom. 3. Spicilegii Lucæ Dacherii recentioris impressionis pag. 383. leguntur mox referenda verba, quibus præallegata interpretatio maximè juvatur, & comprobatur: Denique illos, qui de minoribus peccatis sunt confessi, & habent acceptam penitentiam, si venerint ad Dedicacionem prædictæ Ecclesiæ, &c. (consimilis quippè Dedicacionis occasione Urbanus III. supradictam Indulgentiam concessit) absolvimus de una medietate acceptæ penitentia. His itaque positis: si qua reperiat Indulgentia superius allatis verbis, seu formulis expressa, prudens Episcopus satis justam sibi esse

arbitrabitur causam habendi suspectam illius concessionem. Si verò exhibitum concessionis monumentum agnoverit authenticum esse, quod non ita facile contigerit, poterit illud congrua interpretatione declarare.

VIII. Alias itidem reperire est Indulgentias millenorum annorum, quæ à Romanis Pontificibus concessæ fuerunt. Sunt qui asserant, Alexandrum III. concessisse Anconitanis Dominica prima uniuscujusque mensis Indulgentiam tot annorum, quot arenx grana simul junctæ hominis manus continere possunt. Verùm Cardinalis Baronius ad annum Christi 1177. num. 49. narrationem hanc refert inter fabellas risu excipiendas. Porro Sotus in 4. sentent. dist. 21. quest. 2. art. 1. §. Quòd si arguas, asserere non dubitavit, fuisse hæc omnia commenta Quæstorum. Estius autem in eundem lib. 4. sent. dist. 20. §. 10. in fin. aperte ait, confictas commentitiasque esse hujusmodi concessionem, ac nullatenus Sanctæ Sedi tribuendas. Denique Venerabilis Cardinalis Thomasius in præcit. Commentario, postquam innuit, omnium primam Indulgentiam plenariam, uti superius relatum est, eam esse, quam Urbanus II. euntibus ad recuperationem Terræ Sanctæ largitus est, quamque illius exemplo confirmarunt, & innovarunt Callixtus II. Eugenius III. Clemens III. & Innocentius III. dum eadem urgebat ratio Terræ Sanctæ ex hostium manibus redimendæ; addit, se nullum aliud exinde reperisse exemplum Indulgentiæ plenariæ ante eam, quam primo anno Sancto indixit Bonifacius VIII. silentio transmittens Indulgentiam Portiunculæ, ex eo fortassè, quod ipsa quasi immediatè à Christo Domino concessa fuerit; & postquam multa eruditione toto illo Opere demonstravit, quanta moderatione usi sint Romani

Pon-

Pontifices in Indulgentiis concedendis, quas scilicet paucorum plerumquè annorum largiri solebant, sapienter concludit, incredibiles ac planè improbables esse concessionem Indulgentiarum millenorum annorum, eoque magis, quòd assertæ concessionem plerumquè ad ea tempora referantur, quibus maximè viguit præmemorata moderatio.

IX. Demùm quandoquè magnificè prædicantur nonnullæ Indulgentiæ hoc addito, concessas eas fuisse in forma Jubilæi; qua quidem in re cautos admodum oportet esse Episcopos, uti rectè monet Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 50. sect. 4. num. 8. En illius verba: "Adnotare debent, qui denuntiant, vel prædicant Indulgentias, ne simplicem Indulgentiam plenariam nomine Jubilæi pronuntient, ne fortassè aliqui decipiantur, putantes, non tantum propriam Indulgentiam, sed etiam alios favores, seu privilegia eis concedi; quia nomen Jubilæi juxta usitatam & adquatam significationem, hæc omnia in rigore complectitur." Clemens VI. qui Pontifex creatus est anno 1342. primus fuit, qui annum Sanctum à centenario ad quinquagenarium annorum curriculum contrahens, in ipsa Indulgentiæ concessionem usurpavit hoc verbum Jubilæum. Itaque si aliqua proferatur Indulgentiæ concessio inscriptam habens hanc Jubilæi denominationem, eaque enuntiatum tempus antevertat, poterit utiquè prudens Episcopus dubiam illam suspectamque meritò habere. Illud insuper accedit, à Clemente VIII. allisque aliorum Pontificum Decretis, abrogatas fuisse Indulgentias in forma Jubilæi concessas. Quare quicumque sibi facultatem asserit Indulgentiam aliquam publicandi in forma Jubilæi, debet omninò exhibere concessionis litteras, enuntiatam

Tom. II.

formula præseferentes, ac insuper ostendere, datas eas fuisse post Pontificatum Clementis VIII. & post alia Decreta, hujusmodi gratias abrogantia. Videatur hac de re P. Theodorus in suo citato tractatu de Indulgentiis part. 2. cap. 4. §. 2.

X. Jam verò gradum facientes ad festorum dierum observantiam, sive potius ad postulata hanc ipsam rem attingentia; illud hic non inopportune præmonendum existimamus, inter opera servilia piscationem quoque recensendam esse quotiescumque ad lucrum exerceatur, ideoque diebus festis piscari non licere; quemadmodum latè demonstrat Suarez de Religione tom. 1. lib. 2. cap. 28. num. 1. Nihilò tamèn minùs Alexander III. Pontifex, suis litteris datis ad Archiepiscopum, non Triburiensem, ut in editis, sed Trevirensis, ejusque Suffraganeos, juxta opinionem Gonzalez, relatisque in cap. Licet, de feriis, induisit, ut cum pauperes illius regionis, ad se suasque familias sustentandas, piscari cogereantur, liceret ipsis, Dominicis, reliquisque diebus festis, exceptis tantummodò solemnioribus, qui per annum coluntur, aleces piscari, si per eos dies ad littus illas adnatate contingeret; dummodò, absoluta piscatione, congruam inde conquistæ pecuniæ partem Ecclesiæ, pauperibusque distribuerent. Ex eo textu id colligunt Doctores: quotiescumque re ipsa urgeat piscandi necessitas, ex eo forte, quòd certis potissimum anni temporibus pisces ad littora ferantur, ideoque non nisi præfatis temporibus capi possint, licere pauperibus piscatoriibus, etiam diebus festis, piscationi operam dare, dummodò id non fiat in Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, & Corporis Christi solemnitatibus, ac

X 3 dum-

dummodò locum ex aliqua parte Ecclesie, & pauperibus communicetur; idque, non ex consilio, sed ex præcepto, uti notat Gonzalez in præinducatum textum num. 5. Ad hujus forsàn indulti exemplum, Sixtus V. Pontifex, oblati sibi precibus ab Abbate, & Monachis Monasterii Castri S. Felicis de Guixols, Ordinis S. Benedicti, Diocesis Gerundensis, concessit pauperibus illius Castri incolis, ut Dominicis, cæterisque diebus festis piscari possent à præcedenti media nocte, usque ad auroram, deindeque post meridiem, petita tamen, obtenaque venia ab Abbate Monasterii, & insuper deposito penes ipsum totius lucri triente; in restaurationem, & fabricam Ecclesie (quæ non minùs est Ecclesia Conventualis ipsius Monasterii, quam Parochialis universi Oppidi) erogando. Verùm, cum ex hujusmodi subsidiis parùm, aut nihil Ecclesie Fabrica profecisset, propterea quòd miseri piscatores eligebant potius à piscatione cessare, quam tumvis ad victum ea ratione sibi quærendum necessitate urgerentur, quam uti privilegio ea conditione concessio, ut tertiam lucri partem Ecclesie pensitarent; qua nimirum lege per eos impleta, ac supputatis cymbæ, retiumque expensis, nihil propemodum ipsis reliquum erat; cumque Ordinarius id ipsum in relatione status Ecclesie suæ repræsentasset, simulque pro opportuniore providentia supplicasset; Congregatio Concilii habita die 24. Augusti 1720. dum Nos in minoribus illius Secretarii munere fungebamur, consilium dedit Pontifici, ut antiquas illas Apostolicas litteras confirmaret, à tertia tamen ad septimam partem contracta pensione in posterum Ecclesie persolvenda per eos, qui festis diebus piscationi operam dare vellent; quemadmodum vi-

dere est t. 1. *Thesauri Resolutionum*, & in nostra Constitutione, cui initium est *Ab eo tempore*, num. 144. §. 17. nostri *Bullarii tom. 1.*

XI. Opportunè hic commemoranda occurrunt, quæ postremis hisce temporibus fuerunt, instantibus Episcopis, statuta quoad cultum & observationem dierum festorum, in levamen pauperum, qui ex suis laboribus victitant, usquè, imminuto festorum numero, quæ festa observanda supersunt, religiosius custodiantur, adeoque tollantur tot scandala, quæ ob festorum dierum frequentiam, sacris ipsis diebus perpetrari contingit. Typis editæ sunt Augustæ Taurinorum Epistolæ selectæ Joannis Cardinalis Bona. Duæ ex his scriptæ sunt Joanni Baptistæ Thiersio, Auctori Tractatus de festorum dierum imminutione; & hæ sunt ducentesima quinquagesima octava, & ducentesima quinquagesima nona; & in hac postrema Auctorem redarguit autumantem, posse Episcopum in propria diocesi festa in universa Ecclesia recepta tollere, Officii Divini recitationem, & jejunia transferre; subditque ea tantum fieri posse à Romano Pontifice: *Hæc sanè nimia potestas non solum Censoribus à sacra Congregatione deputatis, sed omnibus passim viris doctis displicuit, & merito; nam communes Ecclesie leges, ritus, & consuetudines ubique receptæ ejus dumtaxat auctoritate tolli, vel mutari possunt, cujus est in universam Ecclesiam auctoritas & potestas, alioquin ingens foret disciplina, & hierarchie Ecclesiasticæ perturbatio.* Anno 1727. coacta fuit Tarracone Provincialis Synodus, in qua postquam Patres desleaverunt animarum interitum ex violatione festorum dierum certò obvenientem, preces offerendas esse decreverunt Benedict. XIII. Pontifici, ut hujusmodi

in-

incommodo prospiceret; eamque in rem eidem Pontifici proposituerunt, ut singulis quidem Dominicis, certisque aliis solemnioribus diebus festis deberent Christifideles, & Missæ Sacrificio interesse, & ab operibus servilibus abstinere; certis verò diebus festis minùs solemnibus, quos itidem expresserunt, integrum esset Fidelibus, audita Missa, rebus quisque suis vacare, pauperibus victum sibi ex suis laboribus comparare. Pontifex autem oblatum consilium probavit, ac ratum habuit, adeoque juxta preces indulgit; prout Nos ipsi alias exposuimus in quodam nostro Scripto, quod primum est in Collectione Scripturarum spectantium ad imminutionem dierum festorum Lucæ impressa anno 1748. ac etiam insertum legitur in nostro Opere de Canonizat. Sanct. lib. 4. part. 2. cap. 16.

XII. Quid autem Pontificatus nostri tempore acciderit, quas ipsi adhibuerimus diligentias, quot, & qualia in eam rem à Nobis expetita fuerint consilia, quæque Nobis reddita fuerint, quam denique inierimus rationem, latè expressum est in nostro decreto incipiente *Non multi mensem*, quod impressum est tom. 2. nostri *Bullarii num. 63.* ex cujus lectione noverit quisque, numquam Nos in ulla diocesi statuissè, aut indulsissè festorum dierum imminutionem, seu reductionem, nimirum, ut integro manente præcepto quoad Dominicos, reliquosque solemniores dies, audiendi Missam, & abstinendi ab operibus servilibus, cesset, quoad reliquos minùs solemnès, obligatio vacandi à servilibus operibus, perstante tamen onere audiendi Missam, nisi petentibus & instantibus Episcopis, de quibus ea semper Nobis fuit, eritque firmissima opinio, non solum eos Divini cultus studiosissimos, sed etiam

optimè conscios tum indigentia suorum diocesanorum, tum inobservantia dierum festorum per suas respectivè dioceses invecta. Itaque hæc agendi ratio à Nobis inita atque servata, jure traduci non potest, quasi per ipsam læsa, & in contemptum adducta fuerit Constitutio Urbani VIII. qui festorum dierum numerum definivit, neque facultatem fecit, ut in aliquo ex iis posset populos, audita Missa, ad servilia opera se convertere; aut quasi per eandem imminutus fuerit Divinus cultus. Etenim, si festi dies ad Dei cultum pertinent, ad Dei quoque honorem & reverentiam pertinet Ecclesiarum immunitas. Si autem Urbanus VIII. Pontifex festorum dierum numerum definivit; alter quoque Pontifex, nimirum Gregorius XIV. certos casus recensuit, quibus delinquentes nequaquam juvari deberent Ecclesiasticæ immunitatis beneficio, quod tamen reliquis omnibus inviolabiliter præstandum esse decrevit. Quod si, non obstante Gregorianæ Constitutionis lege, procedentibus temporibus, cum ex novis quotidie contingentibus factis animadversum fuerit, necessarium omnino esse, casuum exceptorum numerum adaugere, & Ecclesiasticæ immunitatis limites arctius coercere, quo frænnum aliquod injiceretur audaciæ improborum hominum, qui ad Ecclesias confugiebant; idque præstitum fuit, absque eo quòd facta dicitur injuria Gregorianæ Bullæ, aut detractum honori, & reverentiæ Dei domibus debita; potuit similiter, ex novis, iisque urgentibus causis, consilium capi, ut nonnihil immutaretur ex eo, quod sua Constitutione circa festorum dierum observantiam statuerat Urbanus, sine illius Constitutionis injuria, & absque eo quòd labefactatus propterea dici possit Divinus cultus,

XIII. Nicolaus I. Pontifex in responsione ad quæsitum 95. inter ea, quæ ipsi à Bulgaris proposita fuerunt, Ecclesiæ Romanæ disciplinam, tunc temporis vigentem, populis illis recensens ad Fidem conversis exponens quemadmodum videre est *tom. 8. Collectionis Conciliorum Labbei impressionis Parisiensis col. 546.* ita rescripsit: *Quod de his agendum decernimus, qui pro quibuscumque culpis ad Ecclesiam fugiunt, requisitis; sed quamvis eorum sacri canones, quæ leges mundanæ sanciant, custodienda flagitent, & leges circa quosdam immisericordes appareant; Nos tamen, qui non spiritum huius mundi suscepimus, si quispiam ad Ecclesiam, fugerit, non illum, nisi sua voluerit, sponte, ab ea dicimus educendum. Denique, si quondam latrones diversorum criminum rei ad asylum templum Romuli fugientes, indemnitate consequantur; quanto potius hi, qui ad templum Christi confugium faciunt, delictorum remissionem suorum adipisci debent, & jam sibi à suscepto juramento præstito, omnino pristinae securitati restitui? At cum, procedentibus temporibus deprehensum fuerit, ex eo systemate sapienter pieque constituto, ut scilicet per indefinitum asyli jus debitum Dei domibus honor & reverentia conciliaretur, non tam optatum intentumque effectum obtineri, quam reis improbisque hominibus ansam præberi, ut facilius in deteriora quæque prolaberentur; satius visum est graviora aliqua crimina excipere, quorum rei, si ad Ecclesiam confugissent, asyli jure nequaquam gauderent; quemadmodum videre est in *Can. Sicut antiquitus, 17. quæst. 4. cap. Immunitatem, de immunit. Ecclesiar. cap. Pro humani, de homicidio, in 6.* Et quia nec id satis erat*

ad compescendos improborum excessus, aliam inivere rationem Romani Pontifices, concedendi nimirum nonnulla indulta, quibus tribuebatur facultas extrahendi ab Ecclesia reos graviorum criminum, quamvis hæc inter excepta à Jure non recenserentur. Sed cum ex hujusmodi litterarum concessionibus innumeræ perturbationes, & querelæ sæpè orirentur, prælaudatus Pontifex Gregorius XIV. suam evulgavit Constitutionem, quæ est *septima tom. 2. Bullarii Romani*, in qua plures casus recensuit ac definiit, in quibus delinquentes Ecclesiastica immunitate nullatenus juvari deberent; hoc tamen districtè cavendo, ne ipsius Constitutionis lex ad alios casus, licet æqua, vel etiam potior ratio urgere videretur, extendi, aut ampliari posset. Et sanè quilibet persuadere sibi jure poterat, per Gregorianam Constitutionem sublatas penitus fore controversias omnes. Verùm longè aliter sese res habuit. Cum enim hominum improbitas in dies creverit, adauctisque fuerit numerus reorum quorundam criminum, quæ quamvis non expressa in Gregorianis litteris, per se tamen gravissima, & reipublicæ exitiosa dignoscebantur, seculares autem Principes opportunas instantias ad Sanctam Sedem, uti par erat, detulerint; hinc fel. rec. Prædecessor noster Benedictus Papa XIII. sedulo præhabito examine suam evulgavit Constitutionem, cui initium *Ex quo Divina*, qua non solum è medio sustulit plures controversias ab Auctoribus excitate, ut frustraneam redderent casuum exceptionem à Gregorio factam, sed alios etiam superaddidit casus, quibus in posterum Ecclesiasticæ immunitatis beneficium delinquentibus minime suffragari deberet. Nos latè omnia exposuimus in *nostra Institut. 41.* inter impressas Latino idiomate, ubi insuper

per recensere non prætermisimus amplioris providentias à recol. mem. Decessore nostro Clemente XII. captas; cuius vestigiis Nos ipsi insistere non negleximus, ex quo nullis nostris meritis, eidem in B. Petri Cathedra subrogati fuimus.

XIV. Quibus omnibus ita peractis, cum nemo contenderit, detractum quidquam honori Gregorianæ Bullæ, aut imminutum fuisse obsequium sacrosanctis Ecclesiis præstandum, & cultum Omnipotenti Deo debitum; multò minùs affirmari poterit, contemptam fuisse Bullam Urbani VIII. aut imminutum fuisse Divinum cultum; propterea quod Nos ipsi commoti publicis & manifestis criminibus, quibus festi dies profanabantur, nec ignorantes, his ipsis diebus pro Ecclesiis cauponas frequentari, adhærendum Nobis esse duximus prudentibus consiliis, atque iteratis precibus Episcoporum, nec negligendos ploratus pauperum, qui ex opificio aliquo sibi victum quærant; ideoque propositum systema amplexi sumus, atque diversis in locis stabilimus, ut scilicet omnibus Dominicis, aliisque solemnioribus diebus festis, non solum Missa audiat, sed etiam abstinetur ab operibus servilibus; reliquis verò diebus festis non adeo solemnibus, audito Sacro, liceat pauperibus ad sua quemque officia divertere.

XV. Quæsierunt Bulgari à Nicolao I. Pontifice, quibusdam festis diebus à servilibus, operibus abstinere deberent. Pontifex autem in responsione ad quæsitum 11. hujusmodi dies recensuit, qui sanè pauci numerantur, uti legentibus enuntiatam responsionem patebit. Deinde ulterius progressus, eosdem edocuit, quid fieri oporteret, ut festi dies debito cultu celebrarentur. En ipsa Sancti Pontificis verba

cit. tom. 8. Collectionis Labbei col. 522. Sanè sciendum est, quoniam idcirco in diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, Psalmis, & Hymnis, & Cantibus spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis Divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus. Denique concludit, quod si quis die festo nil aliud præstare velit, quam statuto tempore orationi vacare, quod tamen haud ita parùm videri posset, reliquum verò diei consuetis aliorum dierum occupationibus mundanis tribuere; satius fuisset aliquo laborioso opere se exercere, quo posset indigentibus proximis, & consequenter propriæ familiæ inopia forsàn laboranti opem ferre. Quæ omnia si quis negligens orationi tantum vacare voluerit, & ad ceteras mundi vanitates licitos labores converterit, melius illi fuerat ipso die, B. Apostoli Pauli præceptis obediens, laborare manibus suis, ut haberet unde tribueret necessitatem patientibus; quemadmodum ipse, qui licet Dominum ordinasse dicat, uti qui Evangelium annuntiaret, de Evangelio viveret, non tamen usus est hac potestate, sed manibus suis laborabat, ne quem eorum, quibus Evangelium prædicabat, gravaret.

CAPUT XIX.

De postulato proposito quoad onus ministrandi Sacramenta Fidelibus peste infectis, dum ea grassatur, ac de modo administrationis tunc temporis peragenda.

Inter gravioris momenti postulata illud sanè recensendum est, quod Vicarius Apostolicus Juliæ Cesaræ (nunc